

LVNÆ DIE 20 M. OCTOBRIS A. 2003

A.d. XIII Kal. Novembres a. MMIII

II 6

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.melissa.int.ms

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



CIRCVLVS LATINVS BELGICVS

Die 6 m. Septembris Circulus Latinus Belgicus iucunde celebravit vicesimum suum anniversarium ; quod sodalis noster Robertus DEPRez hac lepida oratione illustravit :

« Anno 1983 p.C.n. : tota Belgica a barbaris occupata est. Totane ? Minime ! Nam parvus grex hominum cultorum in vicum ignotum litoris Belgici convenit, ut linguæ Latinæ inimicis resisteret.

Anno 2003 p.C.n. : tota Belgica a barbaris adhuc occupatur. Sed condiciones paululum mutatae sunt : nunc enim vita haud facilis facta est Latinitatis vivæ obtrectatoribus. Circulus enim Latinus Foundationis Melissæ crevit et actuositatem suam augere non desiit. Pluries in anno sodales eius Bruxellis congregantur et de variis thematibus, imprimis ad linguam Latinam propagandam pertinentibus, Latine disputant. Gaius princeps noster, qui nihil timet nisi ut cælum in caput suum incidat, disputationes firmiter sed comiter moderatur. Propter longissimam artis radiologicæ experientiam, optime scit intima hominum inspicere, ut mentes cordaque eorum penetret auxiliumque eis ferat ita ut

vel tirones sententias suas bona latinitate exprimere discant valeant. Francisca drui(a)s potionem magicam atram miscet, quæ inter mediam sessionem participes confirmat. Instrumento magico usa (de quo veteres Romani non audiverant) scripta componit quæ in fasciculis papyraceis et in araneo electronico divulgabuntur. Fundatio Melissa consuetudinem iunxit multis cum hominibus doctis necnon institutis, quibuscum cooperatur ad studia humaniora renovanda. Nunc coniuncti fortiores sumus et, utrum hostes testudine facta an quadrato agmine an quincunce nos aggrediantur parum refert : prevalere non iam poterunt, immo illos verberabimus atque cippis proiectis obruemus.

Nunc tempus est ut paginam volvamus atque fabulam scribere pergamus. Hoc erit opus omnium nostrum, sodales optatissimi ! »

NOVA AREA COLLOQVIALIS LATINA

Excerpta e nuntiis Latinis a Radiophonia Finnica Generali 4.7.2003 emissis : « Inde a Kalendis Iuliis (1.7.) Radiophonia Finnica Generalis omnibus Latinistis novam linguæ Latinæ colendæ facultatem præbet. Agitur de foro colloquiali Latino, quod in paginis interretialibus Radiophoniæ nostræ hac septimana apertum est. Quicumque gregibus Latine scribentium interesse vult, aut suum colloquendi thema ceteris pro-

ponere aut colloquio iam incepto se inserere potest. In hoc epistularum commercio participibus aut suo vero nomine aut aliquo pseudonymo uti licet. Inscriptio electronica est hæc : <http://www.yleradio1.fi/nuntii>. » (Nuntios redegit Reijo Pitkäranta).

Quæ supra scripta sunt, nosse Melissam legentium plurimi interesse crediderim.

Ericus PALMÉN




DE RENOVATA BRENDANI NAVIGATIONE (III)

- scripsit Gaius Licoppe -

Arca Timothei Severin peius se habebat quam curucus « Brendanus », qui in portu Reykjavik tranquille hiemabat. Instabat altera pars « Brendani » navigationis ; ad necessariam pecuniam colligendam etiam suam celocem vendere coactus est. Feliciter curuci carina nullum detrimentum acceperat ; etiam illitum cœsypum e pelle non erat sublatum.

E quinque viris, qui primum iter perfererant, quatuor tantum alterum iter participaturi erant. Non longum fuit curucum armare. Ei imposuerunt septingenta litra aquæ potabilis et victum, qui tunc in simplicibus cibis constitit, id est præsertim in farcimine fumigato, bubula fumigata, suilla salsa atque magna casei rota ; pleraque enim nutrimenta dehydratata plasticis sacculis involuta, quæ superiore anno secum habebant, aqua marina corrupta sunt atque inutilia fuerunt.



Die 7 m. Maii anno 1977, sub vespere, navicula motoria « Brendanum » e portu in altum remulcavit. Timotheus eiusque tres comites sciebant se navigationem difficillimam periculosissimamque incipere. Quare lagoenam optimi vischii Hibernici statim aperuerunt eamque in salutem suam ebiberunt !

Prima septimana tempestas fuit amœna, quantum fieri potest in illis maxime septentrionalibus regionibus ; temperatura enim numquam excedebat 4 gradus Celsianos. « Brendanus » levi aura ad occidentem propellebatur. Nautæ superioris anni consuetudines facile recuperaverunt. Trondur copiam balænæ adipis secum apportaverat, qua escas conficiebat ad aves captandas. Multæ balænæ, curiositate compulsæ, curucum sæpe circumibant. Inopinanter etiam supra undas apparuerunt multa phocarum capita ; quæ circa « Brendanum » gaudenter salientes paulo post una sub undis evanuerunt...

Sol lucebat atque eius occasus splendidum spectaculum nautis præbebat. Ventus tamen, præsertim cum e septentrionibus flabat, frigidissimus erat atque vestes etsi crassas iniucunde penetrabat.

Quarto die ex eorum conspectu nondum disparuerat nivosum culmen vulcanii montis Snaeffel. Hic mons signum erat Vikingis, qui circa annum millesimum terram Americanam attigerunt ; nam inter Islandiam et Groenlandiam tantum intersunt quadringenta chiliometra, ita ut in navigatione solum unum vel duos dies nautæ neque montem Snaeffel neque montes Groenlandiæ adspiciebant. Vikingorum vero tempore tempestas minus frigida erat quam nostris temporibus ; quare Timotheus nolebat cursum dirigere ad Groenlandiam, sed magis ad meridiem, i.e. ad Terram Novam.

Die 16 m. Maii, ipso die festo Sancti Brendani, tempestas mutata est. Ventus e meridie et occidente flare cœpit, curucum ad septentrionem repellens ; quod si duos vel tres dies pergeret, « Brendanus » compelleretur in altas glaciei rupinas Arcticas. Atræ nubes cælum implebant. Non solum pluebat, sed insuper undæ altiores factæ aquam marinam infundebant in navigium provisus cibariis valde oneratum. Oportuit antlias continenter movere ad aquam e curuco expellendam.

Cum interdum malus ventus cessabat, cursum in bonam directionem iterum dirigebant, sed die 20 m. Maii tempestas multo peior facta est. Ventus ad vim 9 crevit, scilicet ad celeritatem septuaginta chiliometrorum horalium. Curucum celerrime propulsum persequantur ingentes fluctus. Tunc, nautarum pristino more, complures rudentes ad puppim alligatos in mare proiecerunt, qui freno munere fungerentur ; insuper follem plenum balænæ oleo ad puppim alligaverunt ; oleum per minima foramina defluens pelliculam supra aquam fluitantem formabat, qua fluctuum vehementia paululum placaretur.

Hæ cautiones non impediverunt quominus enormes undæ in curucum compluries irrumperent eumque fere totum aqua implerent. Omnes tunc antliis, quin etiam caccabis, aquam conabantur quam celerrime expellere, sed restabat magna catastrophe ; omnia vasa enim erant madefacta, id quod præsertim molestum erat in vestibus, saccis dormitoriis et instrumentis Hertzianæ communicationis.

Post diem noctemque integram, procella tandem cessavit. Exhausti, nautæ tamen gaudebant quod tantum periculum superare valuerant ; sed miserabile spectaculum contemplant : multæ pyxides pertusæ erant, earumque contenta fluitabant in atra alluvie ; sal fusus ; ramenta flammifera et ignitabula inefficacia,

notæ in codicillis partim deletæ...


« Brendani » nautæ ad Groenlandiam appropinquabant inviti ; valde enim timebant ingentes glaciei moles de ripa in mare delapsas atque nolebant illuc appellere. In illis regionibus tempestatis condiciones videntur multo amœniores fuisse inter quintum et octavum sæculum, i.e. tempore sancti Brendani navigationis ; itaque fieri potuit ut monachi Hiberni in Groenlandiam egrederentur. Vikingi, qui inter decimum et duodecimum sæculum spatio amœnæ tempestatis etiam fructi sunt, in Groenlandiam exierunt atque ibi colonias collocaverunt. In Vikingorum sagis¹ narratur eos tum in orientali Groenlandiæ parte cum in occidentali humanas lapideasque habitationes atque reliquias pelliceorum navigatorum invenisse. Quæ testimonia videntur potius ad monachos Hibernos spectare quam ad Eskimones, qui has regiones tunc non frequentabant, ut autumant historici.

Adversante vento, fieri non poterat ut curucus ad Groenlandiam non pelleretur. Ad illam terram appropinquare periculosum erat, sed Timotheus sciebat ventum secundum litus e septentrione flare ; huic accedebat quod prope litus rapida aqua marina etiam ad meridiem ferebat. « Brendanus » zonam litoralem intravit, ubi perpetuo sæviunt nebula et pluvia. Die 25 m. Maii, ventus a septentrione magis magisque vehementer flare cœpit. « Brendanus » maximam celeritatem totius itineris attigit : intra viginti quattuor horas centum octoginta chiliometra emensus est. Quattuor diebus post, curucus inferius Groenlandiæ promuntorium, Farewell vocatum, tandem præterit atque ad pæninsulam Labradoris tetendit.

Statis post ingressum in fretum de Davis nominatum, vento deficiente, curucus factus est gyrovagus. Nautæ tædio eo magis confici cœperunt, quod propter nebulam nullus erat prospectus. Decem diebus post, « Brendanus », vento secundo tandem nactus, in bonam directionem celeriter progrediebatur, cum unus ex nautis exclamavit : « Glaciem adspicio ! ». Fluitabat enim prope curucum parva glaciei moles. Sed brevi post « Brendanus » circumdatus est multitudine glacierum tum diversissimarum cum incredibiliter formosarum.

Tunc dixit Trondur : « Hoc piscatori favet ! Prope glaciem frequentiores sunt aves et pisces ! » Non diu tamen gavisus est ; nam ad horizontem adspexit nitentem glaciei murum, quo via intercludebatur. Timotheus conatus est ad meridiem flectere ut curucus murum circumiret, sed frustra ; vento compellente, « Brendanus » inexorabiliter tendebat ad murum...

Dum nautæ de instanti periculo cogitant, unus eorum minimam navis formam procul aspexit. Hæc



Glacies fluitans

erat inexpectata spes salutis, sed quomodo efficerent ut minimus curucus de longinquissima nave adspiceretur ? Feliciter « Brendani » nautæ speculum speciale habebant, quo solis radii in quemlibet scopum reflecti poterant ; et sol plus minusve lucebat. Post nonnulla conamina, navis signa luminosa animadvertit atque cursum in curucum direxit. Post quadrantem horæ aderat navis. Mirum ! Ea nominabatur « Svanur » eiusque nautæ oriundi erant ex insulis Faerois (vel Ovinis), ex ipsa Trondur patria. Trondur populares suos eorum sermone compellavit, qui statim intellexerunt compellantem necessario esse Trondur Patursson !

Obstante glaciei muro, « Brendanus » fatalem collisionem suo Marte vitare manifesto non poterat ; quare Timotheus non recusavit nave ad meridiem remulcari ultra glaciei marginem. Hoc auxilio tamen mancum fiebat experimentum, quo demonstrare volebat monachos Hibernos curucis vectos Americam attingere potuisse. Quod tamen manifesto fieri potuerat, quia, tempore Sancti Brendani, propter mitiorem tempestatem hæc maris pars molibus glacialibus verisimiliter carebat.

Præterea « Brendani » nautæ instrumento fruebantur, quod non habuerunt antiqui Hiberni, i.e. radio-phononia. Undis Hertziiis utilia sæpe præscire poterant de tempestate et de circumstantiis. Sic, die 15 m. Iunii, certiores facti sunt se glacierum congerie iterum occursuros esse. Tribus diebus post, noctu, cum Brendanus per imbres vehementi glacialique vento propelleretur, Timotheus, peracta vigilia sua, sub tectorium se contulit atque vestes madefactas exuere cœpit.

Tunc subito strepitum audivit, tamquam si quid dilaceraretur. Ceteros appellavit ; una curucum inspexerunt, sed nihil mali viderunt. Paulo post idem strepitus compluries iterabatur ; tunc tandem compererunt « Brendanum » glaciebus circumdari, quarum nonnullæ acutis angulis carinæ cum strepitu offendebant. Instabat ingens periculum : non solum timendum erat ne carina perforaretur, sed etiam ne curucus obtereretur inopinata conversione cuiusdam glaciei molis.

Contractis velis, « Brendanus » lente progrediebatur, glaciebus undique concussus. Tædam electricam in utroque latere instruxerunt, cuius tamen lux propter cadentem nivem non longe penetrabat. Cunctis viribus conabantur se a magis timendis molibus arcere ; nemini quiescere licebat. Post terrificam trium horarum pugnam in tenebris actam, tandem gradatim luxit, sed nondum erat finis pugnæ. Totum diem inter glacies flexuose progressi sunt, conantes e congerie quam celerrime effugere.

Tunc Timotheus, levi fremitu attractus, qui ex intimo curuco videbatur oriri, ibi magnam tremulæ aquæ copiam invenit ; manifesto carinæ pellis erat perforata. Statim iussit unum nautam antliam agere, secundum gubernaculum tenere, tertium velis ministrare et quartum quiescere quantum fieri poterat. Viginti quattuor horas hoc modo ita luctati sunt, ut congeriem tandem relinquerent. Restabat labor continuus et maxime fati-

gans antliarum agendarum : duo milia alternorum antliæ motuum singulis horis ! Exhaustis nautarum viribus, oportebat foramen detegere et, si fieri poterat, obstruere.

Ad carinam inspiciendam necesse erat omnia vasa, quibus curucus refertus erat, remove. Feliciter sine nimia mora fissuram invenerunt qua intrabat aqua marina. Spe restituta, diligenter operam dederunt ad emplastrum supra fissam pellis partem suendum.

Dum curucus ad Terram Novam lente appropinquat, nautis licuit de monachorum Hibernorum facinoribus recogitare. Nonne Dicuil in Caroli Magni aula dixerat illos monachos marginem maris congelati attingisse in regione ubi sol sub horizontem vix descendebat ? In ipsa Navigatione Sancti Brendani narratur eum mare incredibiliter immobile in itinere vidisse, quod diceret coagulatum...

Die 25 m. Iunii, post continuam navigationem quinquaginta dierum, Timotheus eiusque comites læti Terræ Novæ lumina adspexerunt atque hora octava vespertina illuc appulerunt... incolumes. ❧

I. « Saga » in sermone patrio Norvegorum significat narrationes et fabulas prosaicas, quibus inter alia rerum gestarum memoria servatur.



DE TABERNIS FLORENTINIS

– scripserunt discipuli Paulæ Marongiu –

QUOMODO FLORENTINÆ TABERNÆ APPELLENTUR

Multæ tabernæ sunt Florentinæ quæ Latine appellantur, quas ambulando per vias urbis meæ aspicere arduum non est. Ex iis sunt duæ in quibus piscinæ ad domus ornandas et pisces alendos emi possunt; earum nomina *Aquarium* et *Aquaria* sunt. Hæc nomina delecta sunt quia verbum aquarii Latine ad aquam pertinet et quod similia sunt verbo Italico *acquario*.

Alia taberna, cuius nomen me curiosum fecit, est taberna purgationum *Quotidie* nominata; dominus eam *Quotidie* appellare voluit quia: « Ad domum mundam habendam » – ut dixit – « munditia domi quotidie facienda est ».

Quotidie etiam, ut aquarius, similis verbo Italico *quotidiano* est, ita ut etiam eis qui linguam Latinam ignorant, facile sit eius significationem comprehendere.

Nicolaus BAZZI




Domum, nomen tabernæ ubi suppellectiles emi possunt, ut *Veritatem* quæ investigationes privatas administrat atque fortasse non omnes sciunt in taberna quæ appellatur *Omnia* (Italice *tutto*) quodcumque sit usus domui esse.

Adverbio deinde, *Prosperius*, confirmatur eum qui ægrotat, qui crus effregit, illic in integrum restitui

posse.

Quamquam Latina lingua mortua existimatur, tamen hoc verum non est quia nobiscum vivit in vita cotidiana.



Esther DI NAPOLI

DE LINGUÆ LATINÆ EFFICIENTIA AD TABERNAS NOMINANDAS

Per quandam viam deambulans animadverto multas tabernas nomen Latinum habere. Nomen simplex quod omnibus comprehendendum est; simplex atque efficax, nam tabernæ quarum titulum nonnulli non intelligunt dubitationem iis afferunt iique scire volunt quid in illis veneat. Pulchrum est linguam Latinam etiam nunc ad vitam redire, etiam si maxima pars hominum bene non eam scit, quia in schola eam non commode didicit. Ingressa in quandam tabernam sum ut quærerem ex illius domino cur *Myllennium* (re vera locutio Latina non est *Myllennium* sed *mille anni* vel *mille annorum spatium*, *Myllennium* tamen linguam Latinam redolere videtur) tabernam suam nominavisset; ille mihi respondit nunc linguam Anglicam omnibus notam esse, plus quam linguam Latinam aut Italicam, qua de causa melius esse linguam Latinam adhiberi. In illa taberna res electricæ emi possunt (ecce cur *Myllennium* appelletur).

Nonne e lingua Latina multa vocabula originem ducunt? Nemone scit? Ad tabernas nominandas multis nominibus virorum clarorum antiquitatis deorumque negotiatores utuntur, exempli gratia *Theseo* aut *Baccho* (Bacchus deus vini est, nam eius nomen datum est cauponæ in qua optimum vinum bibi potest).

Taberna cui titulus *Lux* operam dat ædibus verrendis ac facit ut, ædibus versis, loca quam maxime splendeant. Vocabula simplicia omnes intelligunt ut

DE TABERNIS LATINIS

Cum prima nocte forte in via ignota Fæsularum, vici prope Florentiam siti, cum aliquot amicis irem, varium signum fulgens animadverti. Cum scire vellem qualis taberna esset, ad eam proxime accessi et eam, cui nomen *Quo Vadis* est, popinam esse sensi; sed, obstupefactus, neminem adesse vidi. Id mihi insolitum esse visum est, quia illic etiam complures formosæ puellæ (quæ ad symphonix cantum saltabant) erant. Ob hanc rem, nomen popinæ aptum esse puto. Nam « quo vadis », cum delectari possis, quotienscumque huc venis?


Haud multo antea duo amici, nomine Iulius et Iris, pervenerunt ad me videndum. Ideo pro illis cubiculum deverticuli *Columbi* (quod in « Lungarno Colombo » situm est) præoccupavi. Mihi dicendum est hoc deversorium non luxuriosissimum esse; præterea illa via frequentissima est. Omni modo, id quod profecto mihi risum movit, eius manifestum nomen fuit.

Cum pedibus iter ad oppidum prope Florentiam positum, cui nomen « Montelupo Fiorentino » est, ubi cibo et potione corpus firmare cupiebam, facerem, oculi mei ob nimium lumen, quod e signo exæcante proveniebat, caligaverunt. In hoc signo titulus *Lux* cuiusdam tabernæ, quæ res accommodatas ad illuminandum vendit, legi poterat. Ergo tale nomen, procul dubio, idoneum ad tabernam huius generis est! ❀

Alexander FORGESCHI

CAMBOSIA (III)

– narrata ab Alexandro Vanautgaerden –



¶ Iter, quod Bruxellis ducit ad urbem Phnom Penh, a tempore Vilelmi Somerset Maugham factum est brevius : decem fere horæ intersunt. Parum est. Iter tamen invitat ad cogitationem : nam volare, vivere non est. Ergo Cambosiam inter duos somnos inveni. Abrupte expergefactus sum.



¶ Nam egestatis eram oblitus. In via, qua ex aeriportu itur in urbem, tum in ipsa urbe, mihi non iam videbar esse in Cambosia. Imagines enim huiusmodi iam alibi videram, in Marocio, in Mexico, in multis aliis regionibus. Subito prospectus, qualis mihi fictus erat, paupertatis colore transformabatur. Rebus « exoticis » delectari non iam valebam, quas domi diu scrutatus eram in photographematis allatis.

¶ Prima ambulatione tantum perturbatus sum, quantum in taxiræda fueram. Nam ut fuerat spectaculum, inexpectatum nunc fuit commercium hominum. Qui statim firmiter, ut pauperes facere sciunt, suæ civilitatis imposuerunt legem et pactum : distantiam servare, subridere.

¶ Occidentali festinanti mirum in modum delectabilis erat ambulatio in multitudine conferta, benevola et officiosa. Sive pone gubernatorem trirotæ conductoriæ, sive pedibus, numquam antea tam vehementer gavisus eram de proximitate humana. Tamquam si tota mundi dulcedo incarnata esset, non in aliquam formam allegoricam, sed in placidum corpus populi urbis Phnom Penh.



¶ Vespere, flagrante calore, cum sol ad nocturnam mansionem decurrebat, regnabat pax insolita. Elephantus e laboribus rediens in crepidine Sisowath bananam frustulumve panis emendicabat a tabernarum venditricibus.

¶ Ubique televisoria imagines præbebant Anglici campionatus pedifollii. Omni loco iterum iterumque monstrabantur impetus Francogallici lusoris Theoderici Henri, qui « Mancunienses Unidos » non sine iactatione et petulantia profligabat.



¶ Sescentæ motobirotulæ procurrebant ita ballantes, ut nulla respiceretur commeatus regula, sed ut, si cui spectaculum placebat, magna pars incolarum ostenderetur pompatica. Talia vehicula, lento rhythmò quartæ velocitatis infirmique motri propulsa, sæpe conscendere valebat tota familia : nepos inter gubernaculum et crura patris insidebat oryzæ sacco, dum in postica parte mater, cum avia colloquens, libratam sustentabat molem sarcinarum.

¶ Ego quoque in Cambosia gloriam sum adeptus. Eis enim vultu similis videbar nescio cui Italico lusori pedifollii – quamvis in hac re non abundem ingenio. Itaque in propatulis cafeis, pone tabernarum fenestras, ubique circumstabat turba iuvenum heroem admirantium, cuius effigiem invitus usurpabam. Equidem a folle palam tractando diligenter abstinebam, ne spes eorum nimis mature frustraretur... ❧

RECENTISSIMA LATINITATIS ACADEMICÆ SPECIMINA

- quæ proposuit Theodericus Sacré -

Hoc anno studiorum universitatis Lovanienses doctores h.c. creati sunt quinque; quorum quisque Latino diplomate rite est donatus. Ex his selegimus duo quæ *Melissæ* legentibus proponeremus.

ANDREAS OOSTERLINCK, FACVLTATIS SCIENTIARVM AD VSVM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIVS, EARVNDEM SCIENTIARVM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRAESIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PVBLICE CVRANDIS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI ITERVM RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIA MVLIER CATHARINA VERFAILLIE, POSTEAQVAM LVDICRIS CERTAMINIBVS ITA PRAESTITERIT ADVLESCENS VT EI PALMA IN QVINQVERTIO BELGICO ACCEPTA CVM CATVULO POETA LICEAT EXCLAMARE : « EGO GYMNASI FVI FLOS, EGO ERAM DECVS OLEI », ANIMO MOX AD ALTIORA STVDIA NON INFELICITER ATTENTO, MEDICINAE DOCTRICIS DIPLOMA IN HAC NOSTRA STVDIORVM VNIVERSITATE ADEPTA, IN QVA ET HAEMATOLOGIAE PENITIVS INVESTIGATAE FRVCTVS CEPERIT PRIMOS, PENATIBVS HINC IN AMERICAM SEPTENTRIONALEM TRANSLATIS ALLECTA SIT IN VNIVERSITATEM MINNESOTANAM QVAE EST IN VRBE MINNEAPOLI, VT IBI ET MEDICINAM E CATHEDRA PROFITERETVR ET DILIGENTISSIMIS FRVCTVOSISQVE BIOLOGIAE CELLVLARIS PERVESTIGATIONIBVS EXPERIMENTISQVE FACIVNDIS REGERET INSTITVTVM, ATQVE VTROQVE MVNERE PALMAREM IN MODVM FVNCTA SIT ETIAMVE FVNGATVR ;

CVM DILIGENTER AC VIA ET RATIONE DOCTRINARVM PROCESSVI ET PROGRESSIONI INVIGILAVERIT ET MIRA, VT VERVM FATEAMVR, INCREMENTA REI MEDICAE ATTVLERIT NEC SVAE IPSA GLORIAE VMQVAM SERVIERIT SED COMMVNI HOMINVM SALVTI SEMPER PROVIDERIT, QVIPPE CVIUS NVPERIS REPERTIS HAVD PAVCI VIRI LEVCHAEMIA, DIABETA, RHEVMATE, CANCRO ALIISVE MORBIS GRAVIORIBVS LABORANTES, SPEM NOVAM HABERE QVEANT AD SANATIONEM, QVONIAM SOLIDIS ILLA EXPERIMENTIS ATQVE INAVDITIS NIXA PRIMIGENIAS ADVLTORVM PARTICV-LAS, QVAS CELLVLAS APPELLITAMVS, CVM SINT VNIFORMES, MVLTIGENAS ESSE POSSE OSTENDERIT ITAQVE APTAS ESSE AD NATVRAE DAMNA REPARANDA ;

CVMQVE HAEMATOLOGA ILLA LOCVM VEL PRINCIPEM VEL PRINCIPI PROXIMVM IMPLENS PROPTER REPERTA EA VNIVERSO GENERI HVMANO MAXIME SALVTARIA, QVIBVS ARTEM PAEONIAM HAVD LEVITER PROVEXERIT, VBIQVE IAM AVDIAT INVENTRIX, NOVATRIX, BIOLOGIAE CELLVLARIS ORACVLVM, QVAM VIRI STVDIOSI MVLTII NON SINE FRVCTV SOLEANT ADIRE PRAECEPTA INDE AVREA SECVM ASPORTANTES, VT EIVSMODI INQVVSITIONES ACCVRATAE, MVLIERE EA DVCE, FELICITER VUTILITERQVE INCREBRESCENT ET VBIQVE TERRARVM IAM PERAGANTVUR, ATQVE HIS DE CAVSIS BIENNIO ANTE IN EAM DECVRIAM DOCTRINARVM PERVESTIGATORVM HONORIFICE SIT ILLA RECEP-TA QVI AVGMENTA OMNIVM EXSPECTATIONE MAIORA SCIENTIIS APVD AMERICANOS SEPTENTRIONALES ATTVLERINT ;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EANDEM EXIMIAM MVLIEREM

CATHARINAM VERFAILLIE

DOCTRICEM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIAVIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A RECTORE PRO DISCIPLINIS BIOMEDICIS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS ANNI MMIII.

VIDO MANNAERTS
ALTER A RECTORE
PRO DISCIPLINIS BIOMEDICIS

ANDREAS OOSTERLINCK
RECTOR

AB OBLIVIONE VINDICENTVR...

ANDREAS OOSTERLINCK, FACVLTATIS SCIENTIARVM AD VSVM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIVS, EARVNDEM SCIENTIARVM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRAESIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PVBLICE CVRANDIS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI ITERVM RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR MARIVS VARGAS LLOSA, PHILOSOPHIAE ET LITTERARVM DOCTOR, DOCTOR HONORIS CAUSA STVDIORVM VNIVERSITATVM NVMERO HAUD EXIGVARVM VEL IN IPSA EIVS PATRIA QVAE SVNT SITAE VEL PEREGRE IN GUATIMALIA, FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS CIVITATIBVS, HISPANIA, FRANCOGALLIA, POLYNESIA GALLICA, ITALIA, BRITANNIA, AVSTRALIA, ISRAELE, MAGNA ILLA ORDINIS SOLIS PERVVIANI CRVCE INSIGNITVS, QVO HONORE MAIOR NON EXTAT APVD PERVVIANOS, ALIISQVE PRAEMIIS DONATVS MVLTI, ACADEMIAE REGIAE HISPANICAE SOCIVS ALIARVMQVE SOCIETATVM ORNATISSIMARVM SODALIS, QVASI LVMEN QVODDAM LITTERARVM FVLGEAT VTI MINORA INTER SIDERA SOL, INGENIOQVE ET ARTE PRAEMINEAT IN VARIIS QVAE EXCOLERE SOLEAT SCRIPTIONVM GENERIBVS, CETERVM PHILOGIA ET NOTITIA, QVAM DE LITTERIS HABET IPSE IMMENSAM, IVVENES STVDIOSOS IMPERTIAT INDEFESSIM ;

CVM CALAMO FELICITER ARREPTO SIVE SVO MARTE AGAT SIVE TACITA VT ITA DICAMVS COLLOQVIA CVM SCRIPTORIBVS EVROPAEIS QVI SVNT QVIQVE FVERVNT INSTITVAT, MORES, CONSVETVDINES MVLTIFORMEMQVE AMERICAE LATINAE VITAM INGENIOSE INTERPRETETVR EANDEMQUE DILVCIDE SVBTILITER VERIDICE EXPRIMAT ITA SCRIBENDO VT OMNIBVS LEGENTIBVS SVB ASPECTVM CADAT IPSA, ATQVE ADEO HAUD PAVCA ILLVSTRET QVAE IN CIVITATIBVS NOSTRIS FIANTE EVROPAEIS ;

CVMQVE ACERRIMVS RERVM IVDEX ET ARBITER IDEMQVE TAM PATRIAE SVAE QVAM MVNDI CIVIS A PVBLICIS REBVS NON ABSTINEAT, VERVM RERVM PVBLICARVM EVENTVS PRVDENTER OBSERVET, DOMINATIONEM QVAMLIBET VITVPERET, LIBERTATEM DEFENDAT QVAEQVE DE REBVS CIVILIBVS ETHICISVE IPSE SENTIAT PERMVLTI COMMENTATIONIBVS ET ELEGANTER ET PERSVADENTER APERIAT CONSILIARIVMQVE PRAESTET SESE SAGACEM ET FORTEM ;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM

MARIVM VARGAS LLOSA

DOCTOREM HONORIS CAUSA CREATIVM ET RENVNTIATIVM.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A RECTORE PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANI, ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS ANNI MMIII.

MARCVS VERVENNE
ALTER A RECTORE
PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS

ANDREAS OOSTERLINCK
RECTOR

DE ELIEZERE BEN YEHVDA QVI LINGVAM HEBRAICAM RESVSCITAVIT

– scripsit Stanislaus Tekieli –

Nos¹, fautores linguæ Latinæ vivæ – quam parvi animi homines mortuam communiter vocant – qui volumus eam denuo quodammodo pronuntiatam et auditam reddere, somniatores putamur. En iis, qui ita sentiunt, exemplum aliorum somniatorum, et præcipue unius eorum, qui ante 120 annos aliam linguam quæ eo tempore mortua omnibus videbatur resuscitare conatus est. Cuius et quorum suscepta prorsus bene evenerunt².

De lingua Hebraica dico, quæ a III^o sæculo ante Christum (cum Aramæica florere cœpit, Hebraicam expellens) usque ad sæculum XIX^{um} exiens in viis, foris domique nulla prorsus in parte mundi, nisi rara occasione, audiebatur³.

Linguæ Hebraicæ condicio aliquantulum melior fuit quam status hodiernus linguæ Latinæ in arte textus antiquos legendi, sed multo peior in rebus ad vitam hodiernam spectantibus describendis. Plerique, nonnullis autem in regionibus sæculisque etiam omnes vel omnes fere pueri docebantur eam ut linguam legendi Bibliam Mishnamque in *bederim* (ludis religiosis) et *ieshivot* (academiis talmudicis). Non docebatur tamen Hebraice sed variis in linguis (Idish apud Ashkenazim, Ladino apud Sephardim, Arabice apud Iemenites). Erat etiam Hebraica sola lingua liturgiæ in synagogis et erant multi qui partes magnas sanctæ scripturæ memoriter didicerunt. Ut quidam scriptorum rerum gestarum Israelianarum⁴ ratiocinatus est, hoc tempore, i. e. sæculo XIX^o exeunte, plus quam dimidium puerorum Pentateuchum legere potuerunt, circa quartam autem partem eorum etiam alios libros. Erant et multi qui Hebraice scribere sciverunt, commercium enim epistularum inter rabbinos, nec non nonnullos laicos, omnia per sæcula Hebraice agebatur. Periodo ut dicunt rabbinica, i. e. ab II^o sæculo post Christum usque ad sæculum XVIII^{um}, ca. 6 milia novorum verborum putantur orta, pleraque eorum tamen ad res biblicas explicandas spectant. Inter huius temporis (et paulum postea, usque ad XIX^{um} sæc.) conamina hic forsitan digna nominatu putem :

- *sbe'elot u-tshvot* (res communiter notæ notione Latina « responsa rabbinica »⁵), sc. disputationes theologice inter rabbinos, tota fere periodo rabbinica, præcipue tamen ab X^o sæc. peractæ ;
- *piyyutim*, seu carmina precatória annis 200-500 in Palæstina et in Asia Minore scripta ;
- litteræ Medii Ævi, præsertim ex Provincia et Batavia ;
- poetæ Novohebraici XIXⁱ et XXⁱ sæculi – præsertim Yehuda Gordon et Chaim Nahman Bialik – qui, ubi

opus fuerit, in carmina sua nova verba ab ipsis excogitata introducebant.

Lingua igitur Hebraica quodam modo vivebat, caruit tamen plane arte conversandi de rebus ad vitam cotidianam spectantibus. Aberant Hebraica nomina omnium fere rerum quæ post periodum Mishnaicam (ergo post sæculum II^{um} p.Ch.n.) inventæ sint necnon earum, quas Biblia et Talmud nominare « obliiti sint ». Ut alius scriptor historiæ Iudæorum⁶ dixit : *apud omnes scriptores huius temporis invenies nullum florem nisi lilium, nullum avem nisi columbam, lusciniū, cuculum, gallum et gallinam, omnes colores quos lingua hæc habuit erant ruber, niger, viridis et cæruleus*. Talia verba deerant ut : acta diurna, vocabularium, pavimentum, crepido, tramen, aeroplanum et extraculum (ad vina aperienda). Deerant permulta nomina plantarum et animalium, alia confuse descripta sunt – ergo sæpe scribendo usurpabantur talia ut « genus (quoddam) avium », « genus holerum » « genus avium altilium » etc⁷.

Accedit ut tempore renaissance Iudæicæ (*Haskala*), ergo sæculis XVIII-XIX, Iudæi « novi » (qui habitum moresque Europæ adhibuerunt) ad linguas hodiernas (occidentales, Russicam, Polonicam etc.) Iudæis adhibendas acervatim se converterint, artem Hebraice legendi (ne dicam scribendi !) neglegentes. Non aliter in Palæstina, ubi inter nonnulla milia Sabrarum⁸ præsertim lingua Arabica floruit aut potius mixtura Arabicæ, Hebraicæ et Turcicæ. « Hebroarabicus » etiam erat in Palæstina sermo communicandi in foro inter Sabras et novos advenas (Ashkenazim, Sephardim et Iemenites) nec non inter advenas ipsos, qui in suis circulis alii alia lingua locuti sunt (in ordine : Idish, Ladino, Arabica)⁹.

Rebus sic stantibus ca. annum 1880^{um} Eliezer Ben Yehuda (i. e. Eliezer filius Yehudæ) vel, quod a parentibus nomen ei datum est, Eliezer Icchak Perelman, Iudæus ex Lithuania 23 annorum, consilium cepit sese linguæ Hebraicæ revivendæ operas maximas daturum. Antea, cum iam in *bedere* linguam Bibliæ et Mishnæ percalluisset, ideis *Haskalæ* in *ieshiva* quadam Polockiensi imbutus est : a religione Iudæorum abhorrebat, habitum, speciem, sermonem Russorum adhibuit et ab omnibus prorsus *narodnik* Russicis putabatur. Re vera – ut serius ipse dixit – illo tempore omnes res ad Iudæos pertinentes fere odiosæ ei videbantur, una tamen excepta : amor erga linguam Hebraicam.

Ca. 1878^{um} subito et contra opinionem Ben Yehuda consilium cepit sese in Palæstinam migraturum¹⁰, sed primum Lutetiam Parisiorum causa medicinæ studendi

venit ut deinde in Palæstina ut medicus laboraret. Lutetiæ, ut apparet, consilium cepit Iudæos unam linguam habere debere. Postero anno in ephemeride *Ha-Sbabar (Eos)* Vindobonæ edita¹¹ in commentario quem inscripsit « Quæstio magni momenti » (*She'ela Nikbbada*) his consiliis usus est :

- futura Iudæorum in Palæstina posita sunt ;
- Iudæi una natio fieri, unam terram linguamque habere debent ;
- talis lingua solum Hebraica fieri potest.

Lutetiæ, cum tuberculosi premeretur, Icosium (vulgo Alger) sanandi causa venit, ubi primum linguam Arabicam vivam audivit (et discere cœpit), quæ lingua postea ei fons magnus esset complendi Hebraicam verbis ad vitam hodiernam spectantibus. Hic etiam, in collocationibus cum veteribus Iudæis Icosiensibus, Hebraice loqui coactus est, nam illi Francogallicam nesciverunt.

Anno 1881 in Palæstinam migravit. In itinere stitit Vindobonæ, ubi uxorem Deboram Jonas (quam iam adulescens in Russia cognoverat) duxit, consilium statim cepit cum ea solum Hebraice locuturum. Consensit uxor, quamvis nullum fere verbum hac lingua loqui posset. Ipse Ben Yehuda etiam non optime locutus est, e.g. cum primis mensibus loquendi voluit dicere : *Da mibi poculum theæ cum saccharo et cochleari !* locutus re vera est : *Sume hoc et hoc et illud, fac ita (cum lingua digitorum), pone mibi hoc et hoc et ego bibam !*¹² Hæc locutus est maritus ad uxorem suam, sed immo peius res se habuit cum puerulo uno post anno nato, nomine Ben-Zion Ben Yehuda (deinde Ittamar Ben-Avi ipse se nominavit), cui ulla alia lingua a natu loqui prohibitum est et, ut ipse serius scripsit, prohibebatur etiam nimis longe aves, equos, mulos aliaque animalia auscultare. Cum hospites Idish solum loquentes domum venerunt, illi statim dormiendum erat aut, si tempus ad dormiendum nondum idoneum erat, in armario clauderetur. Idish tamen quodammodo ad aurem eius pervenit – quodam die cum in febris puer aliquid Idish ore emurmurasset, a patre immo magis a mundo separatus est. Ea probabiliter de causa puer iam 4^{um} annum agens nulla lingua (nisi verbis singulis) locutus est. Sed postero anno repente Hebraice loqui cœpit, mox sententias totas efferebat et ut monstrum mirum a populo Hierosolymitano spectatus est.

Mox post adventum Hierosolymam Ben Yehuda dissertationes scribere cœpit in ephemeride Hebraica cui nomen *Ha-Havazzeleth (Narcissus)*, inter alia et hortans iuvenes in Russia, Polonia, Dacoromania etc.

ut in Israel migrarent linguamque Hebraicam colerent. Re vera sunt hi, divino spiritu inflati¹³, qui serius, cum in prædiis collectivis (ut hodierni *kibutsim*) laborarent, linguam Hebraicam ut numen quoddam re vera colere cœperunt ; dum populus Hierosolymæ – ubi præcipue spem suam Ben Yehuda posuit – novam linguam non tam valde (si omnino) dilexit, ut patet ex hoc quod post 40 annos conaminum benyehudanorum solum centesima pars incolarum urbis linguam Hebraicam in vita cottidiana adhibuerunt. Omnibus novitatibus aversus populus Hierosolymæ aperte Ben Yehudam oderat. Aliquando quidem in vincula iactus est, nam osores eius regimini Turcico dixerant eum in coniuratione ad rem publicam evertendam esse. Etiam anathemate a nonnullis rabbinis afflictus est.

Anno 1882^o cum amico quodam associationem formaverunt ad linguam Hebraicam resuscitandam. Post decem annos associatio dissoluta est, nam discordiæ multæ inter eius 5-6 sodales semper ortæ sunt. Etiam apatheia gregalium difficultas magna erat : semper, cum sessio haberetur, sodales una vel duabus horis serius quam designatum adveniebant.

Anno 1883^o, pecunia nimis pauca ex re diurnaria collecta, Ben Yehuda ut ludimagister in schola *Alliance Israélite Universelle*¹⁴ laborare cœpit, docens linguam Hebraicam pueros plerumque Idish loquentes, ergo ipse cum iis Idish loqui coactus. Deinde moderator scholæ, quidam Nisim Bechar, consilium ei dedit linguam Hebraicam modo vivo aut *Berlitziana* (lingua docta per linguam doctam) docere, nam ipse hoc modo usus erat docendo linguam Francogallicam Constantinopoli. Hoc consilium valde Ben Yehudæ placuit et, contra opinionem, methodus bene evenit – pueri rem novam ut ludum iucundum acceperunt. Ipse tamen Ben Yehuda tres post menses ægrotus factus est (tuberculosi affectus, nimis magnum numerum scholarum habuit) et docere desiit, exemplum tamen eius alii rapuerunt, præsertim magistri in prædiis collectivis^{15,16}.

Ben Yehuda autem, nunc domi inclusus, verba amissa « venandi » et nova verba creandi opus incohavit – nam vocabularium aut thesaurum veteris et novæ linguæ Hebraicæ scribere cœpit, quod opus perrexit usque ad mortem suam anno 1922^o.

In opere suo Ben Yehuda quattuor aut potius quinque gradus excogitandi nova verba adhibuit :

- verba sumpta de lingua classica (Biblia, Mishna), postea amissa – iis sæpe significationem novam dedit cum veteri solum paululum coniunctam ;
- verba de lingua Aramæica biblica (targumica¹⁷), etiam post-biblica Hebraica : aggadica (fabulæ de personis

biblicis), mediævali (præsertim ex Hispania, nam gratia verborum Araborum maxime Semitice ei sonabant) et rabbinica ;

- verba de lingua Arabica moderna – proxima viva sorore linguæ Hebraicæ ;

- verba de lingua Latina et Græca, quibus Talmud utebatur ;

- a linguis occidentalibus hodiernis Ben Yehuda abhorrebat, sed etiam eas perscrutavit in spe inveniendi verba Hebraica « errantia » (monumenta litteraria Hispanica et Italiana, etiam Latina et Græca).

In opere suo perscrutavit ca. 40 milia librorum actorumque ; descripsit 20 milia verborum quibus plus quam 500 milia citationum dedit.

Lingua Hebraica hodierna tamen non cito in usum progrediebatur usque ad annum 1903^{um}. Tunc demum ludimagistri ex *kibutsim* unionem ludimagistorum creaverunt et conaminibus linguæ recreandæ animum alacriorem dederunt – non ergo, ut putaverat Ben Yehuda, Hierosolymæ sed in vicis prædiisque collectivis vera lingua Hebraica hodierna (re)crevit. Eorum etiam (ludimagistorum) et non Ben Yehudæ nova verba magis pollebant, cum linguis Europæis plus quam ille voluisset coniuncta¹⁸. Nihilominus – ut plerique putant – sine Ben Yehuda eiusque operibus res tota fortasse omnino non cœperit fieri. Ut Cæcilius Roth, scriptor notus historiæ Israelitorum, dixit : *Ante Ben Yehudam Iudæi potuissent Hebraice loqui. Postea, locuti sunt*¹⁹.

Anno 1922^o, Turcis ex Palæstina expulsis, regimen Britannicum agnovit linguam Hebraicam ut sermonem officialem Iudæorum in Palæstina habitantium. Uno mense postea Ben Yehuda e vita discessit. Septima decima, ultima pars eius thesauri, anno 1959^o a filio Ben Yehudæ edita est.

Oratione mea vix scripta, ad Gregem Latine Loquentium (quo litteræ Latinæ cottidie in interrete mittuntur) textum misi ut sodales gregis rogarem quomodo « experientia benyehudana » linguæ Latinæ resuscitandæ prodesse posset. En responsa nonnulla :

Ioannes Mc Apline :

... Me iudice lingua hebræa aliquid habet quo caret et semper carebit lingua latina. Hebræi enim una natio iam erant qui linguam et « statum », i.e. terram petebant, sed nos latine loquentes nihil tale sumus. Immo, ex multis nationibus provenimus ubi quisque patria sua lingua utitur. Latina lingua itaque nobis nihil aliud quam lingua auxiliaris esse potest. Sub quibus condicionibus lati-

na lingua nobis tam dilecta medium communicationis totius cuiuslibet civitatis fiat animo concipere non possum.

Volfgangus Lovaniensis :

Nodum acu tetigisti, meo quidem iudicio, spectate Ioannes ! Latinitas quidem ad nullum spectat populum, nullius iam gentis est sermo patrius, et propter hoc a quibusdam viris cogitabundis ad omnium gentium communicationem nonnumquam proponitur aptissimum instrumentum ; tamen eo ipso quoque impetu caret prorsus necessario, quem lingua habuit Gallica, sæculis puta decimoseptimo et duodevicesimo, vel sermo Anglicus, recentioribus temporibus, vel Hebraicus, ad Zionistarum (quos vocant) incepta adhibitus : exercitum dico. (...) Id præsertim studeamus ut rei publicæ litterarum, præsertim in usu academico, quatenus quidem ad humaniores spectat disciplinas, sermo Latinus iterum evadat sermo communis in scribendo loquendoque adhibendus. Quod si fecerimus, veri atque meraci Latini sermonis vitam et animam servabimus.

Victorius Ciarrocchi :

Recte, optime Ioannes. Liceat autem adnotatiunculas qualescumque addere : 1) si linguæ Latinæ « nihil aliud » tribuatur, nisi ut « auxiliaris » sit, ipsa misere iacebit etiam in posterum, propterea quod aliæ linguæ veluti « auxiliares » ab hominibus eligentur, minime Latina ; 2) necesse non est ut lingua Latina medium communicationis « totius cuiuslibet civitatis » fiat ; nam emolumentum esset maximum si maior hominum numerus banc linguam adhiberet ; non miliones neque centum et centum milia hominum latine loquentium equidem somnio, verum de iis paucis viris mentionem facere volui, qui Latinum sermonem etiam nunc doceant ; utinam SALTEM hi in scholis, conventibus, seminariis Latine loquantur ! Quod tamen minime vel rarissime accidit ; 3) quæ quidem condicio nisi mutetur, pauca Vestales igniculis Latini sermonis alendis præpositæ manebunt. ❧

1. Oratio habita in seminario Vindobonensi a L.V.P.A. et a MELISSA instituto die 11 mensis Augusti anni 2003. Ad hoc commentarium scribendum instigatus et, dum scribens, valde adiutus sum a Catalina Mazurczak - studente linguæ Hebraicæ et Idish apud Universitatem Varsoviensem. Cui hoc in loco gratias maximas ago.

2. Res, quæ hic demonstrantur, sumptæ sunt plerumque, nisi aliter indicatur, de opere Jack Fellmann, *The Revival of a Classical Tongue (Resuscitatio linguæ classicæ)*, Hagæ Comitum - Lutetiæ Parisorum, 1973. Verba Hebraica (in citationibus, titulis librorum etc.), nisi litteris Latinis, transcriptione Anglica

redduntur. In paucis locis, ubi verba ab adiutrice mea directe ex litteris Hebraicis dictata sunt, transcriptio Polonica adhibetur.

3. Postea, ab sæculo VII^o p.Ch.n. Aramæicam Arabicam expulit; Iudæi in diaspóra autem dialectos suas linguarum « hostium » (terrarum ubi viverent) formaverunt, sæpissime cum pronuntiatione intonationeque « Iudæizata » (ex gr. Idish, Ladino).

4. Chaim Rabin, *Language Revival: Colloquialism or Purism (Resuscitatio linguæ: modo vulgari an puro?)*, in: *The Jewish Frontier*, IX 1958, p. 9.

5. Accuratus: *Responsa ad rogationes de lege Iudæica observanda confecta*.

6. Yosef Klausner, *Eliezer Ben Yehuda: Toledot Hayyav Wa-Avodato (Eliezer Ben Yehuda: eius vita et opus)*, Tel Aviv, 1939, p. 43.

7. Meir Medan, *The Academy of the Hebrew Language (Academia linguæ Hebraicæ)*, in: *Ariel*, 25 (1969), p. 41.

8. Sc. Iudæi aborigines (ergo non advenæ, qui medio sæculo XIX^o gratia migrationis « sionismi » huc advenire cœperunt).

9. Etiam Sephardim, quorum dialecti inter se longe distant, si ex variis terris venerant, coacti sunt inter se Hebraica (aut « Hebroarabica ») uti.

10. Cur animum mutaverit, adhuc ignoramus. Ipse de voce quasi divina locutus esse dicitur. (Ittamar Ben-Avi, *Kol Kitve Eliezer Ben Yehuda (Opera omnia Eliezeris Ben Yehuda)*, Hierosolymæ, 1941, p. 9).

11. Quæ ephemeris – ut dixit – tempore « russificationis » Ben Yehudæ sola iunctio cum viva lingua Hebraica fuerat. Ut postea filio suo dixit: *Nisi Ha-Sbabar, certe banc linguam eiusque litteras iecissem*. (Ittamar Ben-Avi, *Kol Kitve Eliezer Ben Yehuda (Opera omnia Eliezeris Ben Yehuda)*, Hierosolymæ, 1941, p. 7).

12. In transcriptione Anglica: *Kbi kax, veasi kax, vebavii li kax veesbte!* (Fellman, *The Revival...*, p. 38).

13. Agitur præsertim de « agmine primo » 26 iuvenum qui post primas cædes (*pogromi*) Iudæorum in Russia factas (1881) ad hortationem Ben Yehudæ responderunt et una ex Charkovia in Palæstinam migraverunt.

14. A barone Edmond de Rothschild condita eiusque pecunia adiuta.

15. Qui, nota bene, mox idiomatica linguæ Novohebraicæ formaverunt – sc. omne prædium sua lingua locutum est – cum multis verbis, structuris grammaticis alio modo constructis quam apud Ben Yehudam. Omnes hæ dialectus demum post secundum bellum mundanum in unam reductæ sunt.

16. Inter magistros fuit et quidam Icchak Epstein, qui – res nobis certe cognitu digna – usum methodi *Berlitzianæ* proposuit etiam ad alias mortuas linguas docendas, sc. latinam et græcam. *Ita – scripsit – discipulus cum legit, baurit materiam directe, cum is qui discit methodo traditionali prius rem sibi transferre in linguam vernaculam debeat*. (Yizhaq Epstein, *Ivrit Be-Ivrit (Lingua Hebraica per linguam Hebraicam)*, Varsoviæ, 1901, p. 5).

17. *Targumim* translationes sunt textuum biblicorum in Aramæicam.

18. Pronuntiatio tamen – ut Ben Yehuda voluit – Sephardica in usum adaptata est, nam solum hæc omnes phonemos reddit (ergo est facilius ad pueros instruendos).

19. Cecil Roth, *Was Hebrew Ever A Dead Language (Fuit-ne Hebraica quandoque lingua mortua?)*, in eiusdem: *Personalities and Events in Jewish History (Personæ et eventus in historia Iudæorum)*, Philadelphix, 1953, p. 136.

AMICI LATINITATIS
 FERIIIS LATINIS
 IN ABBATIA
 FERIGOLETENSIS
 PERACTIS
 COLLOQUIA LATINA
 HABVERVNT
 ATQUE
 CANTICA NOVA HILARA
 CANTAVERVNT.

pepigit
 Vinfridus CZAPIEWSKI
 10.8.2003

DE MIRO PER AERA VEHENDI MODO (II)

- scripsit Gaius Licoppe -

Saturni die 30 m. Iunii anni 1900, eo ipso anno quo « parvulus Santos » Parisios delectabat suis aeriis facinoribus, plus decem milia Germanorum, Austriorum et Helvetiorum ad ripam septentrionalem lacus Brigantini congregati sive variis navigiis vecti et in ipso lacu fluitantes patienter expectabant ; illuc confluerant ut primi viderent novissimam aerinavem, quam exstruendam curaverat Ferdinandus Comes Zeppelin ; fama enim ferebat eam esse altam ut ecclesiam cathedralem et longam ut navem vectoriam...


Comes Zeppelin, Germanus atque equitatus generalis rude donatus, iam decem fere annis ante aerostata regibilia exstruere cœperat, præcipue in scopum militarem ; timebat enim ne Francogalli, qui in machinas volantes exstruendas multum incumbabant, Germanos armis aeriis superarent. Erat tempus summi Europæorum delirii nationalistici...

Comes Zeppelin brevi intellexit aerostata regibilia, nisi essent ingentia, vix fore cuiusdam utilitatis. Optimæ illius temporis machinæ habebant structuram semirigidam ; pars rigida, quæ constabat e navicella, motro et gubernaculo, suspendebatur folli molli satis parvo, nam quo maior follis instruebatur, eo difficilius pars rigida ei alligabatur. Quare Comes Zeppelin tertium genus aerostatorum regibilium creavit, quæ postea communiter « zeppelinia » vocata sunt.

Zeppelinium propter necessitates aerodynamicas habebat formam sigari, sed sigarum iam non erat ipse follis, sed structura rigida cavaque ex reticulo regularum alumini facta. Ingens cavum, quod circumdabatur hac levi structura pelle induta, totum implebatur compluribus magnis cellis, quarum tenuous parietes gasum aere levius continebant ; duo gasa in hunc usum adhiberi poterant, hydrogenium, abundans sed accensibile, atque helium, rarum et inaccensibile ; Germani solum hydrogenium in promptu habebant, id quod zeppelinii maximo detrimento fuit.

Spectatores, quos supra monstravimus ad lacum Brigantinum congregatos, valde decepti erant ; nam propter nimiam vim venti, non licebat aerinavem e suo ingenti nubilario extrahere. Idem evenit postero die. Solum ii, qui tertio die illuc reverterunt, extraordinario spectaculo delectati sunt. Navicula vaporaria nubilarium fluitans a ripa in altum remulcavit. Comes Zeppelin suos auxiliares, omnes voluntarios, siphonarios, milites vel athletas, hortatus est ut precarentur, antequam ipse cum quattuor ex eis in navicellam ascenderet. Rem omnino novam explorabat ; nemo talem tantamque machinam volantem antea gubernaverat.

Dum navicula vaporaria aerinavem ex nubilario



Zeppelinium iuxta ingens nubilarium

extrahit, eius enorme corpus lente apparuit radiis solis occidentis illuminatum. Relicto tecto, aerinavis statim triginta metra se levavit. Comes Zeppelin, qui totum ministerium de navicella regebat, retinacula solvi iussit. Quod cum paulo tardius ad puppim factum esset, aerinavis prora erecta supra lacum labebatur levi aura pulsa. Duo motra, quæ quattuor helices movebant, tunc incitata sunt ; quibus vehementer propellentibus, zeppelinium habitum horizontalem recuperavit atque summa cum maiestate discedere cœpit, ingenti adstantium plausu...

Aerostatum regibile non solum habet gubernaculum regionis, cuius pala verticalis usui est ad dextrorum vel sinistrorsum flectendum, sed etiam gubernaculum altitudinis, quod constat e pala horizontali ; nam aerinavis, in spatium trium dimensionum fluitans, etiam sursum et deorsum ducitur. Comes Zeppelin valuit dextrorsum et sinistrorsum flectere et postea ascendit usque ad altitudinem quadringentorum metrorum. In navicella tamen non omnia bene se habebant ; invito gubernatore, prora se ita deorsum inclinaverat ut aerinavis recta in lacum se præcipitatura esset, nisi Comes Zeppelin helicum motum invertisset ad retroeundum ; tunc unum ex duobus motris languescere cœpit. Tempus erat experimenti finem facere ; post volatum duodeviginti tantum minutarum, aerius gigas lacus aquam molliter tetigit.

Perfecto hoc primo brevique volatu, observatores dubitabant de zeppelinii futuro ; observatores militares præsertim imperatori Germanico rettulerunt hanc machinam ad nullum usum tum civilem cum militarem aptam esse. Comes tamen Zeppelin spem non deposuit atque indefessa perseverantia proposito suo

stetit.

Primis vicesimi sæculi annis orta est competitio inter machinas volantes aere leviores et aere graviores, i.e. inter aerostata regibilia et aeroplana. Nostris æqualibus machinæ leviores ridiculæ videntur, sed competitionis exitus diu fuit incertus. Commercialis enim zeppeliniorum classis prima multos vectores transportavit. Zeppelinium ante aeroplanum oceanum Atlanticum transiit e ripa occidentali in orientalem, sed etiam ex orientali in occidentalem, i.e. contra vehementiores ventos. Zeppelinium exploratores primum vexit supra glaciales solitudines Arcticas. Anno 1929, zeppelinium Terram circumvolavit intra viginti unum diem. Tunc temporis zeppelina commodum iter præbebant atque in viatorum transvectione longe superabant aeroplana, celeriora sed multo minus capacia, et naves, capaciores sed lentiores. Post tertium decennium vicesimi sæculi machinæ aere graviores, i.e. aeroplana, paulatim valuerunt machinas aere leviores superare propter motorum progressus, quorum potentia in dies augebatur.

Post primum experimentum zeppelini LZ1 vocati (*Luftschiff Zeppelin 1*), Comes Zeppelin erat in pecuniæ angustiis, cum regimen imperiale exspectatas opes non attulisset. Tres annos vix quicquam facere potuit. Tandem anno 1904 rex Virtembergæ, qui ei ab initio favebat, satis pecuniæ collegit, ut zeppelinium LZ2 exstrui posset, sed mala fortuna comitem Zeppelin persequebatur. Nam cum novum zeppelinium ineunte anno 1906 volatum experimentalem faceret, eius duo motra defecerunt; iam non regibile, LZ2 vagabatur vento pulsum; statim appellere oportuit. Nocte insequenti fulmen aerinavem delevit...

Tunc primum Comes Zeppelin rei finem facere stauit, sed brevi sententiam mutavit. Nam ex collatione nationali necnon ex ipsa imperatoris Vilelmi II arca satis magnam pecuniam accepit, ut LZ3 construeretur, quod a præcedenti LZ2 solum differebat forma gubernaculi, quæ differentia fuit magni momenti. Iam primo temptamento plus duas horas volavit cum undecim vectoribus; præterea velocitatem 51 chiliometrorum horaliū attingit. His prosperis facinoribus incitatum, regimen Germanicum maximam pecuniam promisit, si zeppelinium volatum continuum 24 horarum perficere valebat. Hoc facere non poterat LZ3; LZ4 exstruendum erat multo amplius. Medio anno 1908, LZ4 de lacu Brigantino avolavit ut regiminis provocationi satisfaceret. Di iterum Comiti Zeppelin non faverunt. Nam prope Stutgardiam propter motri defectum aerinavis appellenda fuit. Technici fabricæ Daimler, quæ non longe aberat, arcessiti sunt et Comes Zeppelin in vicinam cauponam se contulit. Post nonnullas horas, cum

technici operarentur, vento ex improvise vehementer flante, retinacula avulsa sunt atque aerinavis in proximis arbores ita propulsa est, ut non solum eius pellis dilaceraretur, sed etiam una ex gasi cellis; frictio cellæ pariete cautsuco illito in frondibus genuit electricitatem stativam, cuius scintillæ hydrogenium effluens accenderunt; statim vehementissima displosio facta est atque Comiti Zeppelin licuit de caupona suum LZ4 totum celeriter flagrans spectare...

Ille vir tunc putavit se aerinaves iam non fabricaturum esse. Nesciebat se heroem nationalem factum esse; tanta erat eius fama, ut undique confluerent dona tum minima cum maxima. Numquam tanta pecunia ei in promptu fuerat. In litteris patentibus gratias agendi causa scriptis dixit inter alia hæc: « Germanicus populus cupit aeronaves meas mundum peragraré; hoc desiderium animum viresque meas ita refocillat, ut in propositis perseverem. »

Anno 1909, verno, LZ5 periplum continuum 38 horarum supra Germaniam triumphaliter perfecit, sed nec celeritatem nec altitudinem a militaribus ducibus exspectatam attingere valuit; quare prætorium noluit LZ6 iam perfectum emere. Comes Zeppelin iterum erat in maximis pecuniæ angustiis. Invitus se ad usum civilem convertit atque societatem mercatoriam condidit « Delag » vocatam (*Deutsche Luftschiffahrts Aktien Gesellschaft*), quæ ad viatorum transvectionem spectabat.

Actuositates societatis Delag inchoatæ sunt medio anno 1910 cum novissimo pulcherrimoque LZ7 « Deutschland » vocato; quæ non fuerunt diuturnæ, cum primum bellum mundanum anno 1914 finem eis imponeret. Intra illos quattuor annos potius factæ sunt ludicræ sumptuosæque excursions aeris quam vera itinera; in oblati itineribus inter maiores urbes, zeppelina numquam potuerunt tempore prænuntiatio ad scopum pervenire; non valebant contra vehementes ventos ire atque numquam volaverunt hieme. Tamen 1588 luxuriosæ vectationes factæ sunt cum 10.197 vectoribus, quorum nullus periit propter aerinavium casum.

Classis societatis Delag tribus novis aerinavis aucta est et Comes Zeppelin optimum adiutorem tunc habebat, Hugonem Eckener nomine, qui eius successor fuit. Tanta erat apud populum fama zeppeliniorum, ut duces militares iterum cogitarent de eorum usu bellico; octo sibi exstruenda curaverant ante bellum. Grandævo Comiti Zeppelin gaudere licebat quod post conamina viginti annorum suas aerinaves ad usum bellicum, quem sibi ab initio proposuerat, tandem destinarentur... ❀

(continuabitur)

BIBLIOTHECA LATINA
DE NOVIS LIBRIS

Catechismus. Doctrina Christiana Ecclesiae Finnicæ Evangelico-Lutheranæ comprobata in synodo anno 1999, Helsinki, Edita Prima Oy, 2002, 112 pp.

Hic catechismus, quo doctrina Christiana Ecclesiae Finnicæ Evangelico-Lutheranæ brevibus et claris capitulis exponitur ad usum hodiernorum Christianorum, ortus est e proposito synodi anno 1993 habiti. Ipse novi catechismi textus anno demum 1999 comprobatus est ab episcoporum conventu. Nunc autem peropportune proponitur docta versio Latina, ad quam scienter conficiendam Prof. Tuomo Pekkanen partim nixus est Catechismo Parvo Martini Lutheri a Matthæo Dressero in Latinum verso (a. 1581; qui textus huic libello etiam est subiunctus) necnon, ad nonnullas locutiones Latine vertendas, Catechismo Catholicæ Ecclesiae anno 1997 edito.

I.S.B.N. 951-37-3723-3

A. VAN HECK, *Breviarium urbis Romæ antiquæ*, editio altera stereotypa, Leiden, Brill, 2002, 599 pp.

Pulcherrime fecerunt editores, qui hunc librum in lucem iterum ederent. Omni enim Urbis amatori hunc thesaurum carum esse decet. Qui Latinista Romana monumenta admirans numquam quæsit, quid de re antiquitus scripsisset hic atque ille, quid Suetonius, quid Tacitus, quid Plinius et Martialis referrent? Quis non doluit quod Urbem explorans bibliothecam non posset secum trahere? Hoc autem breviarium sic conscriptum est, ut ambulator desideratos textus omni gradu haberet ad manum. In tali lustratione ipsi auctores antiqui mirum in modum videntur munere fungi mystagogi.

I.S.B.N. 90-04-12499-3

C. Iulii Cæsaris Commentarii de Bello Gallico ex libris I, IV, V discipulis legenda edidit Hans H. Ørberg, Grenaa, Domus Latina, 2003, 88 pp.


Iohannes Ørberg, cuius methodum *Lingua Latina per se illustrata* in scriptam nescimus quibus laudibus sufficienter tollamus, eodem consilio magistris et discipulis totius orbis terrarum paginas nunc offert e Bello Gallico excerptas. Vocabula, locutiones, grammatica, omnia Latine tantum explicantur, sed accurate, sive aliis verbis adhibitis, sive lucido delineamento. Adduntur index nominum et index vocabulorum, mappa geographica et, tamquam proœmium pulchre excogitatum, Eutropii, Livii et Ciceronis de Cæsare iudicia. Scitu dignum: eadem ratione iam edita est Petronii Cena Trimalchionis et Plauti Amphitryon.

I.S.B.N. 87-90696-06-9

J.K. ROWLING, *Harrius Potter et Philosophi Lapis*, translation by Peter Needham, London, Bloomsbury, 2003, 249 pp.

Hui! Fanatici amici parvuli magi gaudio ululabunt! Nunc enim nova et bona excusatione colere poterunt hanc insulsam fabulam: exercebunt linguam Latinam. Translator in verbis hodiernis Latine vertendis manifesto usus est Vaticano *Lexico Latinitatis Recentis*. Ceterum dolendum est quod glossarium non est additum in usum eorum, qui hoc lexicon non habent in promptu et eorum qui, rerum magicarum nondum satis periti, diu quærent quid sit trollum aut Dorsoiugifer, exempli gratia.

I.S.B.N. 0-7475-6196-6, US I.S.B.N. 1-58234-825-1



In hoc fasciculo !

Orbis Latinus p. 1

De renovata Brendani navigatione (III) [G. Licoppe] p. 2

De tabernis Florentinis [N. Bazzi, E. di Napoli, A. Forgeschi] p. 5

Cambosia (III) [A. Vanautgaerden] p. 6

Recentissima Latinitatis academicæ specimina [T. Sacré] p. 8

De Eliezere Ben Yehuda [S. Tekieli] p. 10

Musa Latina [V. Czapiewski] p. 13

De miro per aera vehendi modo (II) [G. Licoppe] p. 14

Bibliotheca Latina p. 16



ANNUNTIATIO SEMINARII TVRCICI

Nonnullis locis in Turcia a nobis modo exploratis, Constantinopolis visa est maxime idonea ad seminarium instituendum. Occasio dabitur præstantissima ædificia museaque inter seminarii sessiones invisendi.

Mansio enim fiet in deversorio moderno lautoque media in vetere urbe sito ; inde pleraque visu digna sunt pedibus accessibilia. Conclavia unius, duorum vel trium lectorum sunt omnia privatis commoditatibus et aere temperato prædita. Natabulum instructum est in summo tabulato. Participes cibos una sument in œco reservato. Duo œci, aere temperato etiam præditi, in promptu erunt ad sessiones habendas. Pro una septimana pretium pernoctationis, ientaculi et cenæ, incluso volatu Bruxellis Constantinopolin, singulis non excedet 700 euronos. Prandium erit liberum, ut maxima sit facultas inter sessiones ambulandi ; ii qui meridie leviter comedere cupient, ubique in vicinia varia frustula venalia invenire poterunt. Volatus etiam ab aliis aeriportibus fieri poterit ; pars pretii, quæ ad volatum spectat, tunc tolletur, sed oportebit participem de suo volatu ipsum curare. Hoc seminarium habebitur a Mercurii die 3 in diem 10 mensis Augusti anni 2004, sed solum si satis multi homines nobis ante primam septimanam mensis Decembris nuntiaverint se hoc seminarium participaturos esse. Plura exhibebuntur in sede nostra interretiali.

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Fundatione Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30
in Museo Domus Erasmiæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles)
Si quis plura scire cupit : Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 ; g.licoppe@skynet.be

DE LINGVA LATINA

COMMENTATIO FRANCOGALLICE CONSCRIPTA :

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*,
Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2003, 62 pp.

Hoc opusculum conspectum præbet florentis vitæ linguæ Latinæ
intra duo millennia, atque monstrat eam falso dictam esse mortuam
ab eis, quibus profuit eius usum extinguere.

Qui libellus apud Melissam emi potest pretio decem euronum.

SEMINARIA LATINA HISPANICA

auspiciis Academiae Latinitati Fovendæ, Universitatis San Pablo,
Instituti Ángel Ayala et Hispanicæ Associationis Studiis Classicis Provehendis,
Matriti fient diebus 17-23 mensis Novembris a. 2003,
2-8 m. Februarii a. 2004, 15-20 m. Martii a. 2004.

Si quis plura scire cupit : Tel. 91 514 04 15 ; hilf@tekhnei.es